



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Manvale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitivm  
Spiritvale Christianae Pietatis**

**Véron, François**

**Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]**

Orationes pro defunctis Sodalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](#)

SODALITATIS.

**P**erf. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.  
**R**esp. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

ORATIO.

**D**efende quæsumus Domine, B. Maria  
semper virginе intercedente, istam  
ab omni aduersitate familiam, & toto cor-  
de tibi prostratam, ab hostium propitius  
tuere clemēter insidijs. Per Christum Do-  
minum nostrum. Amen.

ORATIONES PRO DE-  
FVNCTIS SODALIBVS.

PSALM. 50.

**M**iserere mei Deus : secundum ma-  
gnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem misera-  
tionum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniuitate mea;  
& à peccato meo munda me.

Quoniam iniuitatem meam ego co-  
gnosco : & peccatum meum contra me est  
semper.

Tibi soli peccavi , & malum coram te  
feci : vt iustificeris in sermonibus tuis, &  
vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniuitatibus conceptus  
sum : & in peccatis concepit me mater mea,

Ecce

Ecce enim veritatem dilexisti; incer-  
ta, & occulta sapientiae tuae manifestasti  
mihi.

Asperges me Domine hyssopo, &  
mundabor: lauabis me, & super niuem de-  
albabor.

Auditui meo dabis gaudium, & læti-  
tiam: & exultabunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: &  
omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spi-  
ritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne proiicias me a facie tua: & spiritum  
sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaristui: &  
spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad  
te conuertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus  
salutis meæ: & exultabit lingua mea iusti-  
tiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meū  
annunciabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses, sacrificium de-  
dissem: utiq; holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribula-  
tus: cor contritum, & humiliatum Deus non  
despicies.

Benignè fac Domine in bona volunta-  
te tua Sion: ut ædificantur muri Hierusalem.

Tunc

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae,  
oblationes, & holocausta: tunc imponent  
super altare tuum vitulos.

Requiem æternam dona eis Domine: &  
lux perpetua luceat eis.

## Psalms 129.

**D**E profundis clamaui ad te Domine:  
Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem  
deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine:  
Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter  
legem sustinuit te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius:  
sperauit anima mea in Domino.

A custodia matutina usq; ad noctem:  
speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia:  
& copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus ini-  
quitatibus eius.

Requiem æternam dona eis Domine:  
& lux perpetua luceat eis. Amen.

Pater noster. Aue Maria.

## ORATIO.

**A**bsolute, quæsumus Domine, ani-  
mam famuli tui N. ut defunctus sæ-  
culo,

C

culo,

eulo, tibi viuat, & quæ per fragilitatem carnis, humana conuersatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge.

**D**EUS veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, vt nostræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transferunt, Beata Maria semper virgine intercedente, cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consor-tium peruenire concedas.

**F**IDEIUM Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam semper optauerunt, piis supplicationibus consequantur. Per Dominum nostrum IESVM Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, Per omnia, &c.

LITA.